

iam quando hoc modo subjecto enunciationis præponitur tò omne vel omnia, illa enunciatio non ad universales refertur, sed ad singulares, quod ut rectius intelligatur, sciendum enunciationem referri vel ad universales, vel ad particulares, vel ad indefinitas, vel denique ad singulares. At verò cum tò *Omnis* vel *Omnes* collectivè sumitur, enunciations non pertinent ad universales, quia subjectum non distribuitur, sed signum significat subjectum illud sumi pro inferioribus conjunctim: neque pertinent ad particulares, quia subjectum non accipitur pro aliquibus, sed pro omnibus simul & conjunctim sumtis, neque pertinent ad indefinitas, quia cuiuslibet enunciationis indefinitæ subjecto signum particulare præponi potest, & quidem ita, ut quando vera est, vera maneat, at verò subjecto quod continet tò *OMNIS* collectivè sumptum, signum particulare congruè præfigi non potest, Ergò enunciations, quæ habent tò *Omnis* collectivè acceptum non sunt indefinitæ. Relinquitur ergò quod pertineant ad singulares, quæ sententia ex eô clara est, quia subjecta, quæ continent tò *Omnis* collectivè sunt singularia. E. Enunciations ipsæ talibus subjectis constantes singulares sunt. Quod autem subjectum sit singulare, quando continet tò *Omnis* collectivè sumptum, probari potest ex definitione singularis, quæ est, quod singulare non possit dividi in plura talia, quale est ipsum, cum igitur subjectum, in quo tò *Omnis* collectivè sumitur, non possit dividi in plura talia, quale est ipsum, patet, illud singulare esse.

TH. IX. Vocem *Omnis* in singulari etiam numero posse sumi collectivè, quidam docent. Sunt qui  
ne-